University of the Pacific
Scholarly Commons

Euler Archive - All Works Euler Archive

1786

De descensu baculi super hypomochlio cylindro fixo delabentis

Leonhard Euler

Follow this and additional works at: https://scholarlycommons.pacific.edu/euler-works

Part of the Mathematics Commons

Record Created:
2018-09-25

Recommended Citation
Euler, Leonhard, "De descensu baculi super hypomochlio cylindro fixo delabentis" (1786). *Euler Archive - All Works*. 603.
https://scholarlycommons.pacific.edu/euler-works/603

This Article is brought to you for free and open access by the Euler Archive at Scholarly Commons. It has been accepted for inclusion in Euler Archive - All Works by an authorized administrator of Scholarly Commons. For more information, please contact mgibney@pacific.edu.

DE

DESCENSV BACVLI

SVPER HYPOMOCHLIO CYLINDRICO FIXO DELABENTIS.

Auctore

L. EVLERO.

§. 1.

Referat tabula planum verticale, in quo detur circulus $C c A$, sectionem circuli horizontalis fixi exhibens, super quo baculus $F f G g$ incumbens delabatur, qui elapso tempore t situm teneat in figura repraesentatum, vbi circulum tangat in puncto A, ita vt, ducta per centrum circuli C recta verticali $c C P$, baculus ab ea declinet angulo $c C A = \Phi$, ac ponatur radius huius circuli seu cylindri $C A = a$. Tum vero reperiatur baculi centrum grauitatis in M, vnde intra baculum secundum longitudinem ducatur recta $M B$, ita vt interuallum $A B$ referat semicrassitiem baculi, quae vocetur $A B = b$, at breuitatis gratia ponatur distantia $C B = a + b = c$. Praeterea vero vocetur distantia $M B = s$, ex Tab. I. Fig. 10.

qua

qua intelligitur, quovsque baculus labendo iam peruenerit; quandoquidem manifeſtum eſt, ſi tam angulus $cCA = \Phi$ quam iſtud interuallum $MB = s$ euaneſcerent, tum baculum in puncto c cylindro incumbere et in aequilibrio fore conſtitutum. Quibus poſitis quaeſtio huc redit, vt ad datum quoduis tempus t tam angulus Φ quam interuallum s aſſignari poſſit.

§. 2. Longitudinem baculi hic non in computum duco, quoniam per ſe euidens eſt, cum eius ſuperior terminus F cylindrum fuerit praetergreſſus, tum motum, cuius inueſtigatio hic nobis eſt propoſita, eſſe ceſſaturum, et baculum per ſolam grauitatem deorſum delapſurum. At vero in calculum potiſſimum ingreditur maſſa ſeu pondus totius baculi, quod littera M deſignetur, quo ergo centrum grauitatis M verticaliter deorſum nitetur. Praeter hanc vero vim baculus quoque ſuſtinet preſſionem, qua in puncto A ad cylindrum apprimitur, et qua cylindrus in baculum ſecundum directionem A B reagit, quae, quia non aliter niſi toto calculo abſoluto determinari poteſt, tantiſper littera Π indicetur, ita vt iam baculus a duabus viribus ſollicitari ſit cenſendus: altera ſcilicet, qua centrum grauitatis M deorſum vrgetur, quam poſuimus $= M$; altera vero, qua in puncto A ſecundum directionem A B ad baculum normalem repellitur, quamque poſuimus $= \Pi$. Inſuper autem, niſi tam cylindrus quam baculus habeat ſuperficiem perfectiſſime politam in A, vbi baculus ſuper cylindro prorepit, dabitur frictio certae parti preſſionis Π aequalis, quae ſtatuatur $= \lambda \Pi$, cuius directio erit recta A F. Denique ad motum gyratorium, quo baculus ciebitur, definiendum, ſit eius momenmentum inertiae respectu axis horizontalis per centrum grauitatis M transeuntis $= M k k$.

§. 3. Quo autem motus, quem istae vires in baculo generabunt, per principia mechanica determinari possit, eum ad binas directiones fixas reuocari oportet; quem in finem ad rectam verticalem c C P ex M normaliter ducatur recta horizontalis M P, ita vt situs puncti M determinetur per has duas coordinatas: $CP = x$ et $PM = y$, quibus scilicet opus est ad motum progressiuum centri grauitatis M inuestigandum. Pro motu autem gyratorio perspicuum est, praesentem baculi inclinationem ad horizontem aequalem esse ipsi angulo $cCA = \Phi$, qui, vti facile intelligitur, a viribus sollicitantibus continuo augetur.

§. 4. Hic autem primo videndum est, quomodo binae coordinatae x et y per binas variabiles stabilitas Φ et s determinentur. Vbi quidem facile patet, fore

$$CP = x = s \sin.\Phi - c \cos.\Phi \text{ et}$$
$$PM = y = s \cos.\Phi + c \sin.\Phi.$$

Deinde autem ad has duas directiones etiam vires sollicitantes reduci conuenit. Ac primo quidem vis grauitatis iam secundum ipsam directionem C P agit: at vis $AB = \Pi$ per resolutionem praebet vim sursum tendentem $\Pi \cos.\Phi$, et vim secundum P M agentem $= \Pi \sin.\Phi$; tertia vero vis frictionis $\lambda \Pi$ etiam vim praebet sursum vrgentem $= \lambda \Pi \sin.\Phi$ et vim horizontalem retro secundum M P agentem $= \lambda \Pi \cos.\Phi$, sicque pro motu progressiuo centri grauitatis determinando secundum directionem verticalem C P habebimus totam vim $= M - \Pi \cos.\Phi - \lambda \Pi \sin.\Phi$ et secundum directionem $PM = \Pi \sin.\Phi - \lambda \Pi \cos.\Phi$. Iam vero

vero ex his viribus deducuntur sequentes binae aequationes differentio-differentiales:

$$\text{I. } \frac{M\,ddx}{2g\,dt^2} = M - \Pi \operatorname{cos.}\Phi - \lambda \Pi \operatorname{sin.}\Phi;$$

$$\text{II. } \frac{M\,ddy}{2g\,dt^2} = \Pi \operatorname{sin.}\Phi - \lambda \Pi \operatorname{cos.}\Phi;$$

vbi elementum temporis dt sumtum est constans, et litera g denotat altitudinem, ex qua grauia vno minuto secundo delabuntur, siquidem tempora in minutis secundis exprimere velimus.

§. 5. Deinde vero pro motu gyratorio determinando colligi debent momenta virium sollicitantium respectu centri grauitatis M, vbi quidem ex pondere M nullum momentum oritur. Ex pressione autem Π secundum directionem MB agente momentum nascitur $= \Pi\, MB = \Pi s$, quo inclinatio ad horizontem augebitur. Ex frictione vero $\lambda\Pi$ secundum directionem AF vrgente nascetur momentum $\lambda \Pi\, Mm = \lambda \Pi b$, quo adhuc inclinatio augeri est censenda. Atque hinc secundum principia motus, habebitur sequens aequatio differentialis secundi gradus:

$$\text{III. } \frac{Mkk\,dd\Phi}{2g\,dt^2} = \Pi s + \lambda \Pi b.$$

§. 6. Ante omnia igitur ex duabus prioribus aequationibus elidi oportet binas coordinatas x et y; quare cum posuerimus

$x = s \operatorname{sin.}\Phi - c \operatorname{cos.}\Phi$, erit

$dx = ds \operatorname{sin.}\Phi + s\,d\Phi \operatorname{cos.}\Phi + c\,d\Phi \operatorname{sin.}\Phi$ et

$$ddx = dds \operatorname{sin.}\Phi + 2\,ds\,d\Phi \operatorname{cos.}\Phi + s\,dd\Phi \operatorname{cos.}\Phi - s\,d\Phi^2 \operatorname{sin.}\Phi + c\,dd\Phi \operatorname{sin.}\Phi + c\,d\Phi^2 \operatorname{cos.}\Phi.$$

Simili

Simili modo cum sit

$$y = s \operatorname{cos}.\Phi + c \operatorname{sin}.\Phi, \text{ erit}$$

$$dy = ds \operatorname{cos}.\Phi - s d\Phi \operatorname{sin}.\Phi + c d\Phi \operatorname{cos}.\Phi \text{ et}$$

$$ddy = dds \operatorname{cos}.\Phi - 2 ds d\Phi \operatorname{sin}.\Phi - s dd\Phi \operatorname{sin}.\Phi$$
$$- s d\Phi^2 \operatorname{cos}.\Phi + c dd\Phi \operatorname{cos}.\Phi - c d\Phi^2 \operatorname{sin}.\Phi.$$

Quia autem hae formulae nimis sunt complicatae, quam vt in aequationes nostras priores eas induci consultum esset, per certas combinationes hinc concinniores formulas deriuemus; ac primo quidem erit

$$ddx \operatorname{sin}.\Phi + ddy \operatorname{cos}.\Phi = dds - s d\Phi^2 + c dd\Phi,$$

similique modo altera combinatio dabit

$$ddx \operatorname{cos}.\Phi - ddy \operatorname{sin}.\Phi = 2 ds d\Phi + s dd\Phi + c d\Phi^2.$$

§. 7. Pari vero modo binae aequationes priores inter se combinentur, ac prior combinatio dabit

$$\frac{M(ddx \operatorname{sin}.\Phi + ddy \operatorname{cos}.\Phi)}{2g dt^2} = M \operatorname{sin}.\Phi - \lambda \Pi,$$

altera vero combinatio producet

$$M(ddx \operatorname{cos}.\Phi - ddy \operatorname{sin}.\Phi) = M \operatorname{cos}.\Phi - \Pi.$$

Quodsi ergo in his aequationibus valores ante inuentos substituamus, binae aequationes priores in formas abibunt sequentes:

$$\text{I. } \frac{M dds - M s d\Phi^2 + M c dd\Phi}{2g dt^2} = M \operatorname{sin}.\Phi - \lambda \Pi;$$

$$\text{II. } \frac{2M ds d\Phi + M s dd\Phi + M c d\Phi^2}{2g dt^2} = M \operatorname{cos}.\Phi - \Pi;$$

quibus adiungi opportet tertiam iam ante inuentam

$$\text{III. } \frac{Mkk dd\Phi}{2g dt^2} = \Pi s + \lambda \Pi b.$$

§. 8.

§. 8. Tres igitur adepti ſumus aequationes, ex quibus etiam tres incognitas, ſcilicet s, Φ et Π definiri oportet. Ac primo quidem preſſio Π commodiſſime ex tertia aequatione ita determinatur, vt ſit $\Pi = \frac{Mkkdd\Phi}{2gdt^2(s+\lambda b)}$, qui valor ſi in prioribus aequationibus ſubſtituatur, per M diuidi poterit et ambae aequationes ſequentes induent formas, poſtquam per $2gdt^2$ multiplicauerimus:

I. $dds - sd\Phi^2 + cdd\Phi = 2gdt^2 \text{ſin.}\, \Phi - \frac{\lambda kkdd\Phi}{s+\lambda b}$;

II. $2dsd\Phi + sdd\Phi + cd\Phi^2 = 2gdt^2 \text{coſ.}\, \Phi - \frac{kkdd\Phi}{s+\lambda b}$;

ſicque totum negotium huc eſt reductum, vt ex his duabus aequationibus binae noſtrae incognitae s et Φ eliciantur.

§. 9. Hic ſtatim apparet elementum temporis dt commode ex calculo extrudi poſſe. Prior enim aequatio per coſ. Φ et poſterior per $-$ ſin. Φ multiplicata iunctim praebent

$$dds \,\text{coſ.}\, \Phi - sd\Phi^2 \,\text{coſ}\, \Phi + cdd\Phi \,\text{coſ.}\, \Phi - 2dsd\Phi \,\text{ſin.}\, \Phi$$
$$- sdd\Phi \,\text{ſin.}\, \Phi - cd\Phi^2 \,\text{ſin.}\, \Phi = \frac{kkdd\Phi}{s+\lambda b}(\text{ſin.}\, \Phi - \lambda \,\text{coſ.}\, \Phi)$$

Verum etiamſi hinc tempus t eliminatum videtur: tamen adhuc eius ratio reuera ineſt, quia eius elementum dt conſtans eſt aſſumtum; quandoquidem ex hac demum conditione differentialia ſecunda dds et $dd\Phi$ valores determinatos adipiscuntur; et hanc ob rem haec aequatio nullum nobis vſum praeſtari prorſus poterit.

§. 10. Cum igitur reſolutio binarum aequationum inuentarum ſine dubio maxime abſtruſa ſit cenſenda, plurimum intererit ſtatum quaeſtionis ad maiorem ſimplicitatem reduci. Statuamus ergo ambas conſtantes b et c nihilo aequales; tum vero etiam a frictione mentem abſtrastrahamus, ita vt sit $\lambda = 0$; atque hoc casu binae aequationes resoluendae erunt

I. $dds - s\,d\Phi^2 = 2\,g\,dt^2 \,\text{sin.}\,\Phi$;

II. $2\,ds\,d\Phi + s\,dd\Phi = 2\,g\,dt^2 \,\text{cos.}\,\Phi - \frac{kkdd\Phi}{s}$.

§. 11. Attendenti autem mox patebit, si harum aequationum prior per $2\,ds$, posterior vero per $2\,s\,d\Phi$ multiplicetur, summam earum, quae erit

$$2\,ds\,dds + 2\,s\,ds\,d\Phi^2 + 2\,ss\,d\Phi\,dd\Phi$$
$$= 4g\,dt^2(ds\,\text{sin.}\,\Phi + s\,d\Phi\,\text{cos.}\,\Phi) - 2kk\,d\Phi\,dd\Phi$$

fore integrabilem, quippe integrale erit

$$ds^2 + ss\,d\Phi^2 = 4g\,s\,dt^2\,\text{sin.}\,\Phi - kk\,d\Phi^2, \text{ siue}$$
$$ds^2 + (ss + kk)\,d\Phi^2 = 4g\,dt^2(s\,\text{sin.}\,\Phi + C)$$

in qua aequatione principium conseruationis virium viuarum continetur.

§. 12. Huic aequationi addatur prima in s ducta et summa erit

$$d.s\,ds + kk\,d\Phi^2 = 2\,g\,dt^2(3\,s\,\text{sin.}\,\Phi + 2\,C),$$

quae ducatur in $2\,s\,ds$, vt prodeat haec forma:

$$d.ss\,ds^2 + 2kk\,s\,ds\,d\Phi^2 = 2\,g\,dt^2(6\,s\,\text{sin.}\,\Phi + 4\,C)\,s\,ds.$$

At vero secunda aequatio ducta in s praebet

$$d.ss\,d\Phi + kk\,dd\Phi = 2\,g\,dt^2\,s\,\text{cos.}\,\Phi,$$

haec porro ducatur in $2\,ss\,d\Phi$, vt prodeat

$$d.s^4\,d\Phi^2 + 2kk\,ss\,d\Phi\,dd\Phi = 2\,g\,dt^2.\,2\,s^3\,d\Phi\,\text{cos.}\,\Phi,$$

quae aequatio ad praecedentem adiecta praebet

$$d.ssds^2 + d.s^4 d\Phi^2 + kk\, d.ssd\Phi^2$$
$$= 2g\,dt^2 (2s^3 d\Phi \operatorname{cos}.\Phi + 6ssds \operatorname{sin}.\Phi + 4Csds)$$
$$= 2g\,dt^2 (d.2s^3 \operatorname{sin}.\Phi + d.2Css),$$

vnde manifesto deducitur hoc integrale:

$$ssds^2 + s^4 d\Phi^2 + kkssd\Phi^2 = 4g\,dt^2 (s^3 \operatorname{sin}.\Phi + Css + D)$$

sicque iam nacti sumus duas aequationes differentiales primi gradus, in quas introductae sunt duae constantes arbitrariae C et D.

§. 13. Quaeramus ex vtraque aequatione inuenta valorem $2g\,dt^2$, qui erit ex priore

$$4g\,dt^2 = \frac{ds^2 + (ss+kk)d\Phi^2}{s \operatorname{sin}.\Phi + C};$$

ex posteriore vero colligitur

$$4g\,dt^2 = \frac{ssds^2 + ss(ss+kk)d\Phi^2}{s^3 \operatorname{sin}.\Phi + Css + D},$$

qui valores inter se aequati producent hanc aequationem:

$$ds^2 (s^3 \operatorname{sin}.\Phi + Css + D) + (ss+kk)d\Phi^2 (s^3 \operatorname{sin}.\Phi + Css + D)$$
$$= ssds^2 (s \operatorname{sin}.\Phi + C) + ss(ss+kk)d\Phi^2 (s \operatorname{sin}.\Phi + C).$$

Transferantur nunc termini ita, vt ex altera parte tantum ds, ex altera vero $d\Phi$ tantum reperiantur, eritque

$$D(ss+kk)d\Phi^2 = D\,ds^2$$

quae aequatio consistere nequit nisi sit $D = 0$, hocque casu ambae aequationes a se inuicem non discrepant

§. 14. Talis autem aequatio integralis, principio virium viuarum innixa, nequidem generalius, admissa cylindri magnitudine et crassitie baculi erui potest, si scilicet etiam frictionis ratio habeatur. Verum, quamuis etiam alia combinatione integratio succederet: tamen hinc nihil plane

plane emolumenti redundaret ad problema propositum resoluendum, quandoquidem ad solutionem perfectam ad minimum duplex integratio requireretur. Cum autem talem solutionem hactenus frustra tentassem, mihi quidem nulla alia via superesse videtur ad hunc motum cognoscendum, nisi vt ex ipsis aequationibus differentio-differentialibus solutionem per approximationes elicere conemur.

Determinatio motus quaesiti sine subsidio integrationis.

§. 15. Quoniam hoc Problema duabus aequationibus differentialibus secundi gradus continetur, eae quatuor constantes arbitrarias inuoluunt; vnde intelligimus, ad Problema penitus determinandum quatuor requiri conditiones ab arbitrio nostro pendentes, id quod etiam ipsa quaestionis natura declarat. Cum enim status initialis tanquam cognitus spectari debeat, is vtique quatuor rebus determinari deprehenditur. Primo enim non solum interuallum $BM = s$ datum habuerit valorem necesse est, sed etiam eius motus, quo primum procedere inceperit. Scilicet si motus a quiete inceperit, tum erit $\frac{ds}{dt} = 0$; sin autem baculo initio iam certus motus fuerit impressus, hinc formula $\frac{ds}{dt}$ certum valorem nanciscetur. Deinde in ipso initio non solum angulum $cCA = \Phi$ certum valorem habuisse necesse est, sed etiam, ob motum impressum, celeritas angularis $\frac{d\Phi}{dt}$ datum quendam valorem accipiet: sicque valores initiales harum quatuor quantitatum: 1°.) s, 2°.) $\frac{ds}{dt}$, 3°.) Φ, 4°.) $\frac{d\Phi}{dt}$, determinationem Problematis exhaurient, quibus cognitis totum negotium huc redit, vt ad quoduis tempus sequens valores earundem quatuor quantitatum assignentur.

§. 16. Constituto igitur statu initiali continuationem motus successiue per gradus prosequi conueniet, quem in finem tempus in particulas satis exiguas diuisum concipiamus, quarum singulas charactere differentiali dt designare liceat, quas quidem tam paruas accipi oportet, vt variatio motus in singulis producta quasi infinite parua spectari possit. Cum igitur tempus in minutis secundis exprimi sumserimus, elementum dt certam quandam partem exiguam vnius minuti secundi denotet, cuiusmodi pars si vna decima sufficere videatur, perpetuo nobis erit $dt = \frac{1}{10}$; fortassin etiam sufficiet ipsi dt majorem fractionem tribui, nisi solutionem magis exactam desiderauerimus. Quo minus enim a veritate aberrare voluerimus, eo minores fractiones pro dt assumi debebunt. Hoc enim modo, si pro initio cuiusque talis exigui interualli temporis quatuor memoratae quantitates s, $\frac{ds}{dt}$, Φ, $\frac{d\Phi}{dt}$ fuerint cognitae, tum ex ipsis aequationibus differentialibus secundi gradus earundem quantitatum valores pro fine huius tempusculi colligere licebit, quorum ope deinceps sequentia tempuscula simili modo percurri poterunt.

§. 17. Quo autem haec operatio facilius institui liceat, ponamus $\frac{ds}{dt} = p$ et $\frac{d\Phi}{dt} = \theta$, vt sit $ds = p\,dt$ et $d\Phi = \theta\,dt$; tum vero ad quoduis tempus t hos quatuor valores s, p, Φ, θ tanquam cognitos tractemus, et ad tempus $t + dt$ eos per s', p', Φ' et θ' indicemus, atque ex natura differentialium statim patet fore

$$s' = s + ds = s + p\,dt \text{ et } \Phi' = \Phi + \theta\,dt,$$

qui ergo iam erunt cogniti. At vero simili modo erit

$$p' = p + dp \text{ et } \theta' = \theta + d\theta$$

vbi

vbi haec duo differentialia dp et $d\theta$ ex aequationibus differentio-differentialibus elicere oportebit, ita vt hoc modo nulla plane integratione indigeamus. His autem valoribus inuentis eadem operatio facile pro sequentibus temporis particulis dt expediri poterit.

§. 18. Consideremus igitur nostras binas aequationes differentiales secundi gradus generalissimas, nulla plane adhibita restrictione, quae, posito $ds = p\,dt$, $d\Phi = \theta\,dt$, hincque

$$dds = dp\,dt = (p' - p)\,dt,$$

similique modo

$$dd\Phi = d\theta\,dt = (\theta' - \theta)\,dt,$$

ad sequentes formas redigentur:

$$\text{I. } \frac{(p'-p)}{dt} - s\theta\theta + \frac{c(\theta'-\theta)}{dt} = 2g\,\text{sin.}\,\Phi - \frac{\lambda kk(\theta'-\theta)}{dt(s+\lambda b)},$$

$$\text{II. } 2p\theta + \frac{s(\theta'-\theta)}{dt} + c\theta\theta = 2g\,\text{cos.}\,\Phi - \frac{kk(\theta'-\theta)}{dt(s+\lambda b)},$$

quae reducantur ad has:

$$\text{I. } \frac{p'-p}{dt} + \frac{\theta'-\theta}{dt}\left(c + \frac{\lambda kk}{s+\lambda b}\right) = 2g\,\text{sin.}\,\Phi + s\theta\theta,$$

$$\text{II. } \frac{\theta'-\theta}{dt}\left(s + \frac{kk}{s+\lambda b}\right) = 2g\,\text{cos.}\,\Phi - c\theta\theta - 2p\theta,$$

ex quarum posteriore statim habetur

$$\frac{\theta'-\theta}{dt} = \frac{2g\,\text{cos.}\Phi - c\theta\theta - 2p\theta}{s + \frac{kk}{s+\lambda b}} = \frac{(2g\,\text{cos.}\Phi - c\theta\theta - 2p\theta)(s+\lambda b)}{s(s+\lambda b) + kk},$$

vnde colligitur valor ipsius θ'. Tum vero si iste valor pro $\frac{\theta'-\theta}{dt}$ in priore aequatione substituatur, etiam quantitas p' per mera elementa cognita cognoscetur, ita vt pro tempusculo sequente habeamus iterum quaternas quantitates s', Φ', p' et θ', quae cum per meros numeros exprimantur, eas iterum simpliciter per litteras s, Φ, p et θ designare

signare licebit, ex quibus simili modo earum valores pro tempusculo insequente, siue ad tempus $t + 2dt$ definiri poterunt. Tales igitur operationes haud difficulter eo vsque continuare licebit, donec baculus a cylindro penitus fuerit delapsus.

§. 19. Hic autem duo occurrunt casus, quibus motus iste complicatus cessabit: alter locum habet si interuallum $BM = s$ toti portioni baculi MF euadit aequalis, quod si euenerit, baculus cylindrum deserens motum conceptum libere prosequetur, quatenus scilicet a sola grauitate sollicitabitur. At vero etiam euenire potest, si portio baculi MF fuerit longior, vt baculus etiam, antequam punctum F vsque ad A pertingat, cylindrum deserat, id quod continget, quando pressio in puncto A, quam posuimus $= \Pi$, euanescet; quare cum inuenerimus

$$\Pi = \frac{M k k d d \Phi}{2 g d t^2 (s + \lambda b)} = \frac{M k k (\theta' - \theta)}{2 g d t (s + \lambda b)},$$

hoc eueniet quando fiet $\theta' - \theta = 0$; motus igitur hoc casu eo vsque durabit, quoad fiat

$$(2 g \operatorname{cos.} \Phi - c \theta \theta - 2 p \theta)(s + \lambda b) = 0, \text{ siue}$$
$$2 g \operatorname{cos.} \Phi - c \theta \theta - 2 p \theta = 0, \text{ siue}$$
$$2 g \operatorname{cos.} \Phi = \theta (c \theta + 2 p),$$

quod, cum angulus Φ continuo crescat, ideoque $\operatorname{cos.} \Phi$ decrescat, ex altera vero parte tam θ quam p continuo crescant, mox euenire debebit, nisi forte iam ante terminus F supra A fuerit praeterlapsus.

§. 20. Cum hic sit $p = \frac{ds}{dt}$, littera p denotabit celeritatem progressiuam centri grauitatis baculi M, quatenus secun-

secundum longitudinem B M promouetur, quam, ob gra-
vitatem, continuo crescere manifestum est; tum vero
$\frac{dds}{dt^2} = \frac{(p'-p)}{dt}$ exprimet accelerationem huius motus; de-
inde vero littera $\theta = \frac{d\Phi}{dt}$ exprimit celeritatem angularem,
qua baculus circa centrum cylindri C quouis momento
gyratur siue supra horizontem eleuatur; tum vero formula
$\frac{\theta'-\theta}{dt}$ accelerationem huius motus gyratorii denotabit. Quan-
do ergo ista acceleratio cessabit, baculus non amplius cy-
lindro incumbet, sed motu gyratorio iam concepto cylin-
drum penitus deferet, totusque baculus a vi grauitatis prae-
cipitabitur, cuius motus determinatio nulla amplius laborat
difficultate.

§. 21. Denique etiam circa frictionem quaedam hic sunt animaduertenda, quoniam frictio eatenus tantum habet locum, quatenus baculus super puncto A prorepit; si enim tantum voluendo super cylindro procederet, nullam frictionem pateretur. Quamobrem hic necesse est in celeritatem inquirere, qua baculus super cylindro prorepit. Ad tempus igitur t tangat baculus cylindrum in A, sitque A $m = s$; elapso autem tempore dt fiat contactus in a, existente angulo A C $a = d\Phi$, sitque $a\,m' = s + ds$, eritque, ob radium cylindri C A $= a$ et arculum A $a = a\,d\Phi$, distantia A $m' = s + ds + a\,d\Phi$, vnde si auferatur distantia A $m = s = \alpha\,m'$, remanebit spatiolum $a\,\alpha$, per quod punctum baculi A interea processit; vnde patet, frictionem tum demum cessare, quando fuerit $a\,d\Phi + ds = 0$, quod igitur nunquam eueniet, nisi initio baculo motus contrarius fuerit impressus. Hoc enim casu excluso vtraque celeritas $\frac{ds}{dt}$ et $\frac{d\Phi}{dt}$ positiuum habebit valorem. Tab. I. Fig. 9.

§. 22. Quod si iam haec calculi praecepta ad casus determinatos, quibus scilicet omnia elementa status initialis per numeros absolutos fuerint data, accommodare velimus, circa quantitates singulas, quae hic occurrunt, ratione vnitatum, ad quas referantur, quaedam sunt monenda. Ac primo quidem mensuram temporis iam stabiliuimus, quippe quam in minutis secundis exprimi assumimus. Deinde vero angulos Φ et θ in partibus radii, qui etiam vnitate designari solet, exprimi sumamus, quos ergo, dum eorum sinus et cosinus accipiuntur, ante ad mensuras solitas per gradus et minuta exprimi oportebit. Quantitates tandem longitudinales s et p, pariter ac altitudinem g, in mensuris consuetis, veluti pedibus, exhibere licebit; vbi quidem, in gratiam calculi, eiusmodi pedes assumi conueniet, quorum 16 praebeant altitudinem lapsus g. His igitur praenotatis aliquem casum specialem per calculum euoluamus, cuius fortasse tractatio sternere viam poterit ad solutionem completam nostri Problematis propositi.

Descriptio casus specialis

hac methodo euoluendi.

§. 23. Sit baculus, seu potius trabs, parallelepipedum 12 pedes longum, cuius dimidia crassities sit semipedis (latitudo enim non in computum ingreditur). Centrum grauitatis autem in medium cadat, ita vt eius distantia ab vtroque termino sit 6 pedum, cuius quadrati triens 12 dabit valorem ipsius kk, existente dimidia crassitie $b = 0,5$ pedis; tum vero sit etiam diameter cylindri horizontalis, super quo trabs delabitur, vnius pedis, eiusque radius $CA = 0,5$ et interuallum $BC = a + b = c = 1$ ped. existente

existente altitudine $g = 16$ pedum; tum vero trabs initio cylindro ita horizontaliter in puncto c imponatur, vt eius centrum grauitatis M ad dextram promineat, interuallo $= 0,5$ ped. ex quo situ dimissa, incipiat delabi, ita vt initio ipso fuerit $s = 0,5$; $p = 0$; $\Phi = 0$ et $\theta = 0$. Pro quouis ergo tempore elapso $= t$ habebuntur istae duae aequationes:

$$\text{I. } \frac{\theta' - \theta}{dt} = \frac{(32 \cos. \Phi - \theta\theta - 2p\theta)s}{ss + 12};$$

$$\text{II. } \frac{p' - p}{dt} = 32 \sin. \Phi + s\theta\theta - \left(\frac{\theta' - \theta}{dt}\right);$$

vbi frictionem calculi commodioris gratia penitus neglegimus.

§. 24. Incipiamus igitur ab ipso initio motus, quo fit tempus $t = 0$, et quia hoc momento habetur $s = 0,5$, $p = 0$ $\Phi = 0$ et $\theta = 0$, habebimus $\frac{\theta' - \theta}{dt} = \frac{64}{49} = 1,306$, hincque $\frac{p' - p}{dt} = -1,306$, sicque erit $p' = -1,306 \,.\, dt$ et $\theta' = +1,306 \,.\, dt$, tum vero erit $s' = 0,5$ et $\Phi' = 0$.

§. 25. Sumamus nunc primum temporis interuallum $dt = \frac{1}{10}$ sec. et quatuor elementa pro tempusculo sequente erunt

$$s = 0,5; \; p = -0,1306, \; \Phi = 0, \; \theta = 0,1306,$$

vnde colligetur

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 1,3601, \; \frac{p' - p}{dt} = -1,2976,$$

hinc igitur fiet

$$s' = s + p\,dt = 0,5 - 0,1306 \,.\, dt;$$
$$p' = -0,1306 - 1,2976 \,.\, dt;$$
$$\Phi' = 0 + 0,1306 \,.\, dt;$$
$$\theta' = 0,1306 + 1,3061 \,.\, dt.$$

§. 26. Sumamus denuo $dt = \frac{1}{10}$, atque ad tempus $t = \frac{1}{5}$ sec. elementa nostri calculi erunt

$s =$

$$s = 0,4869,\ p = -0,2603,\ \Phi = 0,0131,\ \theta = 0,2612,$$

ficque erit $\Phi = 45°$. Calculum igitur vt ante profequendo reperiemus

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 1,2759,\ \frac{p' - p}{dt} = -0,8235,$$

erit ergo

$$s' = 0,4869 - 0,2603 \,.\, dt;$$
$$p' = -0,2603 - 0,8235 \,.\, dt;$$
$$\Phi' = 0,0131 + 0,2612 \,.\, dt;$$
$$\theta' = 0,2612 + 1,2759 \,.\, dt.$$

§. 27. Sumamus nunc denuo $dt = \frac{1}{10}$, et ad tempus $t = \frac{3''}{10}$ elementa calculi erunt

$$s = 0,4609,\ p = -0,3426,\ \Phi = 0,0392,\ \theta = 0,3888,$$

ficque erit $\Phi = 2°.\,15'$, quia portio $0,026$ refpondet $1°.\,30'$. Hinc igitur reperietur

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 1,2111,\ \frac{p' - p}{dt} = 0,1149.$$

Hinc ergo erit

$$s' = 0,4609 - 0,3426 \,.\, dt;$$
$$p' = -0,3426 + 0,1149 \,.\, dt;$$
$$\Phi' = 2°.\,15 + 0,3888 \,.\, dt;$$
$$\theta' = 0,3888 + 1,2111 \,.\, dt.$$

§. 28. Statuamus denuo $dt = \frac{1}{10}$, vt tempus ab initio elapfum fit $\frac{2''}{5}$, et elementa noftra erunt

$$s = 0,4266,\ p = -0,3311,\ \Phi = 0,0781,\ \theta = 0,5099,$$

vnde calculo inftituto reperitur

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 1,1199 \text{ et } \frac{p' - p}{dt} = 1,4942, \text{ vnde fit}$$

$s' =$

$s' = 0,4266 - 0,3311 \cdot dt;$
$p' = -0,3311 + 1,4942 \cdot dt;$
$\Phi' = 4^\circ.\ 29' + 0,5099 \cdot dt;$
$\theta' = 05099 + 1,1199 \cdot dt.$

§. 29. Statuatur denuo $dt = \frac{1}{10}$, et elementa pro tempore $t = \frac{5''}{10}$ ita ſe habebunt:

$$s = 0,3935,\ p = -0,1817,\ \Phi = 7^\circ.\ 25',\ \theta = 0,6219,$$

quibus inuentis calculo conſueto inſtituto fiet

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 1,0221 \text{ et } \frac{p' - p}{dt} = 3,2608,$$

vnde fit

$s' = 0,3935 - 0,1817 \cdot dt$
$p' = -0,1817 + 3,2608 \cdot dt,$
$\Phi' = 7^\circ.\ 25' + 0,6219 \cdot dt,$
$\theta' = 0,6219 + 1,0221 \cdot dt.$

§. 30. Denuo ſtatuatur $dt = \frac{1}{10}$, et pro tempore $= \frac{6''}{10}$ elementa ita erunt comparata:

$$s = 0,3753,\ p = 0,1444,\ \Phi = 10^\circ.\ 59',\ \theta = 0,7241,$$

quibus inuentis calculo pro inueſtigandis nouis p' et θ' inſtituto habemus

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 0,9484 \text{ et } \frac{p' - p}{dt} = 5,3451,$$

vnde colligitur

$s' = 0,3753 + 0,1444 \cdot dt,$
$p' = 0,1444 + 5,3451 \cdot dt,$
$\Phi' = 10^\circ.\ 59' + 0,7241 \cdot dt,$
$\theta' = 0,7241 + 0,9484 \cdot dt.$

§. 31. Sumatur iterum $dt = \frac{1}{10}$, vt pro temporis momento $\frac{7''}{10}$ elementa fiant

$$s = 0,3897, \; p = 0,6789, \; \Phi = 15^\circ.8' \text{ et } \theta = 0,8189.$$

Calculum ergo vt ante proſeqũendo elicimus

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 0,9334, \; \frac{p' - p}{dt} = 7,6821,$$

vnde orietur

$$s' = 0,3897 + 0,6789 \, . \, dt,$$
$$p' = 0,6789 + 7,6821 \, . \, dt,$$
$$\Phi' = 15^\circ. 8' + 0,8189 \, . \, dt,$$
$$\theta' = 0,8189 + 0,9334 \, . \, dt.$$

§. 32. Quoniam motus iam regularior fieri incipit quam initio, nunc interuallum dt augere poterimus: ſumamus ergo $dt = \frac{1''}{5}$, atque elapſo tempore $\frac{9''}{10}$ erit

$$s = 0,5255, \; p = 2,2153, \; \Phi = 24^\circ.33', \; \theta = 1,0056,$$

vnde fit

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 1,0141 \text{ et } \frac{p' - p}{dt} = 12,8129,$$

quocirca fiet

$$s' = 0,5255 + 2,2153 \, . \, dt,$$
$$\Phi' = 24^\circ. 33' + 1,0056 \, . \, dt,$$
$$p' = 2,2153 + 12,8129 \, . \, dt,$$
$$\theta' = 1,0056 + 1,0141 \, . \, dt.$$

§. 33. Sit iterum $dt = \frac{1''}{5}$, ita vt elapſo tempore $t = 1\frac{1}{10}$ elementa noſtra ſint

$$s = 0,9686, \; p = 4,7779, \; \Phi = 36^\circ.9', \; \theta = 1,2084,$$

quibus inuentis porro colligitur

$$\frac{\theta' - \theta}{dt} = 0,9606 \text{ et } \frac{p' - p}{dt} = 19,3306,$$

hinc porro nanciſcemur

$s' =$

$$s' = 0{,}9686 + 4{,}7779 \,.\, dt,$$
$$p' = 4{,}7779 + 19{,}3306 \,.\, dt,$$
$$\Phi' = 36^\circ.\, 9' + 1{,}2084 \,.\, dt,$$
$$\theta' = 1{,}2084 + 0{,}9606 \,.\, dt.$$

§. 34. Adhuc fumatur $dt = \frac{1}{5}''$, et elapfo tempore $1\frac{8}{10}''$ elementa noftra erunt

$$s = 1{,}9242,\ p = 8{,}6440,\ \Phi = 50^\circ.\, 8',\ \theta = 1{,}4005,$$

ex quibus, fi fecundum praecepta data computemus, formula

$$32 \cos. \Phi - \theta\,(\theta + 2p)$$

iam fit negatiua; vnde intelligitur, trabem iam ante hoc tempus $1\frac{8}{10}''$ cylindrum penitus deferuiffe et nunc motu libero per folam grauitatem delabi, pro motu quem centrum grauitatis hoc momento iam concepit; tum vero etiam motum gyratorium, quem hoc momento habuit, perpetuo conferuabit, cuius celeritas angularis cum fit

$$\frac{d\Phi}{dt} = \theta = 1{,}4005,$$

fingulis minutis fecundis angulum conficiet hoc numero expreffum. Quamobrem fingulis minutis fecundis motu angulari per angulum $80^\circ.\, 12'$ gyrabitur.

§. 35. Haec quidem determinatio motus non mediocriter a veritate aberrabit, propterea quod temporis interualla nimis magna funt affumta, quandoquidem circa finem noftra elementa nimis magnas mutationes funt passa, quam vt motus vniformis per vnum interuallum pro aequabili haberi poffet. Interim tamen, neglectis minutiis, hinc fatis diftinctam nancifcimur ideam motus quo noftra trabs delabetur. Hinc enim difcimus, ftatim ab initio trabem tardiffime ad motum concitari, atque adeo, dum fuper

per

per cylindro inclinatur, in contactu A retro repere. Cum enim celeritas prorepens supra inuenta sit

$$\frac{ds}{dt} + \frac{\frac{1}{2} d\Phi}{dt} = p + \tfrac{1}{2}\theta,$$

ab initio per aliquod tempus haec quantitas, seu eius duplum $\theta + 2p$ mansit negatiuum, atque videmus elapso demum dimidio minuto secundo baculum antrorsum repere incipere, a quo tempore satis prompte descendendo prolabitur. Caussa huius phoenomeni in eo est sita: quod centrum grauitatis M circa initium alium motum concipere nequit, nisi verticalem, eumque adeo lentissimum; tum enim demum, quando trabs iam satis notabilem inclinationem est nacta, motum horizontalem recipere potest.

Emendatio Solutionis praecedentis.

§. 36. Quo autem aberratio istius methodi a veritate diminuatur, calculum sequenti modo instituti conueniet, vbi quidem eidem exemplo determinato insistemus. Ponamus ad tempus $= t$ ab initio elapsum iam hos valores esse inuentos: $p = e$, $s = f$, $\theta = \varepsilon$ et $\Phi = \zeta$, tum vero elapso insuper tempusculo $= \tau$ haec elementa abire in p', s', θ' et Φ', ad quorum valores inuestigandos statuamus $p' = e + A\tau + B\tau\tau$, vnde cum sit $s' = \int p' d\tau$, fiet

$$s = f + e\tau + \tfrac{1}{2} A\tau\tau + \tfrac{1}{3} B\tau^3.$$

Simili modo fit $\theta' = \varepsilon + \alpha\tau + \beta\tau\tau$, vnde colligitur

$$\Phi' = \zeta + \varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3,$$

vbi quidem sumamus angulum ζ more solito in gradibus et minutis dari, partes autem adiectas $\varepsilon\tau + \frac{1}{2}\tau\tau + \frac{1}{3}\beta\tau^3$ in partibus radii exprimi, vt hinc fiat

sin.

$$\sin.\Phi' = \sin.\zeta \cos.(\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3)$$
$$+ \cos.\zeta \sin.(\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3) \text{ et}$$
$$\cos.\Phi' = \cos.\zeta \cos.(\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3)$$
$$- \sin.\zeta \sin.(\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3).$$

§. 37. Quia autem in hac euolutione non vltra fecundam poteftatem ipfius τ afcendere conuenit, erit

$$\cos.(\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3) = 1 - \tfrac{1}{2}\varepsilon\varepsilon\tau\tau \text{ et}$$
$$\sin.(\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau + \tfrac{1}{3}\beta\tau^3) = \varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau,$$

ficque habebimus

$$\sin.\Phi' = (1 - \tfrac{1}{2}\varepsilon\varepsilon\tau\tau)\sin.\zeta + (\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau)\cos.\zeta \text{ et}$$
$$\cos.\Phi' = (1 - \tfrac{1}{2}\varepsilon\varepsilon\tau\tau)\cos.\zeta - (\varepsilon\tau + \tfrac{1}{2}\alpha\tau\tau)\sin.\zeta,$$

quibus fubftitutis in ambabus noftris aequationibus fupra exhibitis et ad hunc cafum accommodatis:

